



## **Polyanthea Sacra**

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

**Spanner, Andreas**

**Augustae Vindelicorum, 1702**

§. 4. Qui à Deo laudantur, beati.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

*Exultate justi in Domino, rectos decet collaudatio.* Pl. 32. 1.

*Laudate pueri Dominum.* Psal. 112. 1. Merito hos Propheta comonetur laudes Domino debere cantare; qui corde purò videntur ad eas accedere: non enim hic ætas est electa, sed puritas. Cassiodorus hic.

*Laudate Dominum, quoniam bonus est psalmus; Deo nostro sit jucunda, decoraq., laudatio.* Pl. 146. 1. Licet enim bonus sit Psalmus, bona laudatio; tamen indecora esse potest ab eo, qui profert: ut vinum, licet per se bonum sit, è vase tamen non bono suam perfectionem amittit. Octavianus c. 15.

*Laudate Dominum de terra dracones &c.* Pl. 148. 7. Quid, obsecro, possit esse miserabilis? scorpis, serpentes, ac, dracones, invitantur ad laudandum eum, à quo conditi sunt: solus peccator ab hac sacra chorea submotus est; idque jure optimò: mala bestia est peccatum. S. August. serm. de se, dum esset presbyter designatus.

*Increpans, non sinebat ea loqui.* Luc. 4. 41. Licet ipsum Deum nuntiarent: quasi veritas tanta impurò illò ore conspurcarentur. Octavianus c. 15.

## §. IV.

*Qui à Deo laudantur, beati.*

*N*òs *invenis gratiam coram Domino.* Gen. 6. 8. Non simpliciter invenit gratiam, sed *coram Domino* Deo: ut nos doceat; quòd unum ille habuerit scopum, ut ab illo oculo laudaretur, qui dormire, soporique, nescit; nihilque curaverit humanam gloriam, vel ignominiam, vel irrisionem. S. Chrylost. hom. 23. hinc.

*Te vidijustum coram me.* Gen. 7. 1.

Laudatus Job. 1. 8. *homo simplex, & rectus, ac rimens Deum, & recedens à malo.* David Act. 13. 22. *secundum cor meum.*

Quid damni accipit justus, si homines contemnant, & universus orbis terrarum; quando Dominus Angelorum eum laudat, & prædicat? Quemadmodum, si ipse non benedicat, etsi omnes laudent, qui terram, & mare habitant; ei nihil prodest. S. Chrylost. in Pl. 5.

## §. V.

*Laudes Sanctorum, & illustrium virorum.*

*E*cce *vir Dei.* 1. Reg. 9. 6. In Scriptura dicitur esse Dei, quiddid habet in genere suo excellentem aliquam commendationem. Sic Gen. 32. 2. dicuntur *castra Dei.* 1. Paral. 12. 22. *exercitus Dei.* Ezechiel. 1. 1. *visiones Dei.* Pl. 79. 11. *cedri Dei.* Pl. 35. 7. *montes Dei.* 1. Thess. 4. 15. *verba Dei &c.* Cum enim Hebraei superlativis careant; eorum defectum adjectò nomine Dei supplet. Homines, sive viri Dei vocantur Moyses Jos. 14. 6. David 2. par. 8. 14. Elias 3. Reg. 17. 18. 4. Reg. 1. 9. Beatus vir Dei Benedictus. S. Greg. M. I. 7. in exordio vitæ ejus. Homo Dei, & vir spiritualium desideriorum. S. Greg. Theologus orat. in laudem patris sui S. Greg. Naz. initio.

*Semper laus ejus in ore meo.* Psal. 33. 2. Laus à lauro dicta est; quæ solet coronare victores. Hugo Card. hic.

*Polyantb. Sacr. Tom. I.*

Si alijs honorificum est, ad nominis celebritatem aliquid à majoribus accepisse; multò certè præclarior ipsius laus confenda est; qui majorum suorum laudibus aliquid ex se adjecerit. S. Greg. Naz. Or. 30. in laudem S. Basilii.

Athanasium laudans virtutem laudabo: idem enim est illum dicere, quàm virtutem laudibus efferre. Id. or. 31. de laudib. Athanasij Alex.

Ibi est à vanitate remota laudatio, ubi etiam vituperatio ab offensione secura est. Sanct. August. ep. 128.

## §. VI.

*Laude dignos imitare.*

*M*agister, quod est magnum mandatum &c. Matth. 22. 36. Fallax verbum, sed nec impunitum; eum vocare Doctorem, sive Magistrum, seu in aliquo superiori sibi; & non exhibere vocationis officium; nec velle fieri ad id, quod exigitur ratione morali: quomodo multi vocant dominum, cui subdi nolunt; multi Magistrum, cujus doctrinam despiciunt; Doctorem, cui contradicunt. &c. Simon Cass. l. 11. c. 53.

Hæc est Martyrum vera laus, alios ad eorum virtutem æmulandam invitare. S. Basilii. l. in 40. MM.

Laus justii iniqui est vituperatio. Guigo de tranquillit. animi c. 7.

## §. VII.

*Laudes sunt virtutis stimulus.*

*D*ominus *tecum virorum fortissime.* Judic. 6. 12. Laudat eum Angelus, ait Abulensis, ad consolandum eum; nam Deus erat ipsum missurus ad pugnandum, contra Madianitam.

*Verè Filius Dei es.* Matth. 14. 33. Post hoc mox notat S. Matthæus, Christum, post talem divinitatis suæ confessionem, illustriora miracula operari cœpisse. Sed cur hoc? Respondet Victor Antiochenus: non reprehendit Dominus hanc confessionem; quin potius dictorum illorum seriem, ut verus Deus opere confirmat: quando ægrotos, sanitatis causâ, undecunque ad illum delatos, majori potestate, & virtute sanat, & salvat; quàm antea unquam. Didacus Niss. f. 5. post Cin. §. 1.

*Euge serve bone.* Matth. 25. 21. Itane laudat publicè Christus D. homines? quid si inde timeant? Sed novit, quos laudet: scilicet qui, laude parati, *ibunt de virtute in virtutem.* Pl. 93. 8. Laudat, ut meliora deinceps cogitent. Laudatus à Patre Christus D. Matth. 3. 17. *hic est Filius meus dilectus;* pergit in solitudinem, incipit prædicare, miracula patrare. Matth. 17. 5. *hic est Filius &c.* laudatione peractâ, montem deserit, Apostolos monet de sua cruce. Sic Paulum laudat Christus D. Act. 23. 11. *constans esto; sicut enim testificatus es de me in Jerusalem, sic te oportet & Roma testificari.* A Christo suo hausit Paulus, laudibus excitare. Rom. 16. 34. *salutate Priscam, & Aquilam, - qui pro anima mea suas cervices supposuerunt &c.* Theophylactus: quemlibet pro dignitate notat; tum ipsos alacriores reddens, dum alios ad æmulationem excitans. Velloso in Judith 6. Patræn. 15.

Nnn nn

Consi-